

modum : quamvis levia initia morborum serpunt, et ægra corpora minima interdum mergit accessio. *SENEC. ep. LXV.*

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de hac materia bene nosse, observare debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, hanc minimorum curam esse unam ex præcipuis capitibus, a quibus vigor, et progressus religiosæ perfectionis pendet; cum, ut S. Thomas recte docuit, omnis scientia operativa tanto perfectior sit, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus. S. TH. *in Prol. XXII.* Hinc S. Chrysost. ait : Nostri magistri non solum opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiam prohibere contenti sunt, sed et vultum impudicum, et lasciva verba, visumque ineptum, sed et habitum inordinatum, incessum inordinatum atque clamorem, et omnino usque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. S. CHRYS. *hom. 1 in Matth. et S. Ephrem sapienter monet : Eum qui cæteris præest, peritissimum esse convenit, et ad consulendum salutis subditorum vigilantissimum, utque singulorum observet incessum, gestum, motum, et habitum, adhibita etiam debita earum rerum correctione, quæ minus conveniunt, ut ad optimum ea statum, formamque reducantur. Magistri enim elementorum non solum figuras discipulis ostendunt, sed etiam minima quæque puncta distinctione proponunt. S. EPHREM., s. de Vit. Spir. Hinc Alphonsus Rodriguez de hac materia disserens tandem sic concludit, atque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac materia dicuntur ut servare pro generali regula debeant, scilicet, quamdiu quis æstimabit, magnique faciet res parvas, recte incedet, et Deus sua gratia ipsum provehet ulterius; contra si ipse negligat, periculose incedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in spirituales religiosi domum incurrunt. ROBR. p. 1 de Perf., tr. I, c. XIX.*

Alterum est, ut sciat, in quibus potissimum minimorum cura occupari debeat; quæ quidem Nigronus in duo capita, scilicet declinanda et quærenda dividit, ut supra vidimus Lancizius in tria genera distinguit quorum primum continet fugienda, nempe pec-

cata et imperfectiones : secundum observanda comprehendit, nimirum leges, scripturas, viva voce traditas, consuetudines, opera superogationis, modum hæc omnia exequendi : tertium mortificanda includit, scilicet externorum sensuum et internorum affectuum compressionem ac subjugationem. LANCIZ. *op. v, c. 5.*

Tertium est, ut specialem affectum et amorem concipiat erga minima in omnibus rebus ad quotidianum usum spectantibus, puta victu, vestitu, officiis, honore, etc. eumque in finem privilegia ejusmodi minimis concessa bene apprehendat, nempe. 1. Quod Deo magis placeant, utpote in quibus minimum de commodo, et amore proprio reperitur. 2. Quod Christi exemplo et verbis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabatur) magis conformia sint. 3. Quod proximum magis ædificant. 4. Quod majorem profectus nostri promovendi occasionem offerant, cum, qui magis nos ipsos abnegamus, deprimimus, et humiliamus, tanto magis in spiritu proficiamus, et caelestium donorum capaces efficiamur. 5. Quod majorem animo quietem concilient, cum ejusmodi minima semper et ubique inveniantur, facilius obtineantur, securius et sine invidia possideantur, sine labore conserventur et sine dolore amittantur; atque adeo verum sit, quod qui separat pretiosum a vili, quasi os Dei, id est specialiter dilectus sit.

Quartum est, ut tria illa impedimenta, quæ ab electione et cura minimorum non modice impediunt, fortiter et efficaciter removeat : quorum primum est « falsa opinio, » qua sibi quis persuadet, nihil utilitatis, dignitatis aut jucunditatis inesse minimis, sed si gemario de gemmarum pretio judicandi creditur, cur Christo vilissima semper et minima eligenti non perinde credatur? Secundum est « erroneum aliorum judicium » nihil ejusmodi minima facientium; verum cum sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum, quis non videt, ejusmodi judicia ab Asceta fortiter spernenda, Christie et Sanctorum, perfectorumque judicis postponenda esse? Tertium est « amor proprius » ad optima quæque et splendida secundum carnem appetenda inclinans; sed si commodiore corpori eligimus, cur non potius ea quæ animæ meliora sunt, inquirimus? quid autem melius et pretiosius, quam minimorum cura?

MISCELLANEA.

QUALITAS. — De muliere sapiente dicit Salomon : Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. *Prov. XXXI, 10.* Quia videlicet, ut explicat D. Damianus, hujus vitæ idoneus executor sic se per majora opera ex desiderio fervore dilatat, ut etiam causas, quæ sunt minimæ, non derelinquat. *DAM. op. xv, c. 1.* Clarius vero S. Franciscus Salesius : Applica, inquit, tu manum ad fortia, proximo pro necessitate Christiana etiam cum vitæ periculo succurrendo, pro injuriis hostimenti loco gratias hosti referendo, frequenti Sacramentorum usu animas et piacularibus flammis liberando, etc., sed et digiti quoque fusum teneat, leves corporis afflictiones, parvas sui abnegationes ac dimissiones per idem sæpius sectando. *ENGELER. Dom. Sept. § 8.*

NECESSITAS. — Christus Dominus S. Birgitta dixit : Qui non bene utitur minimis, justum est, ut maximis non gloriatur. *Rev. inter., l. III, 43.*

UTILITAS. — S. Cyrillus in illud Christi : Vestri capilli capitis omnes numerati sunt : quid capilli, inquit, et capitis pilli, nisi minutissimas actiones significant, quas Deus exacte observat, ac præmiat? S. CYRILL. *ap. Eng., Do. sept. § 1.*

S. Libaræ Virginis colus subito frondere, florere, ac amenissimos flores producere cœpit, testes præmii, quod etiam pro minimis laboribus offert Deus. *ROSWEID. 8 oct.*

Mimus quidam, cum proximis ludis promississet se dicturum quid quisque maxime optaret, conducto die dixit : Omnes vultis vili emere, e carò vendere. Hoc autem per minimorum curam obtinetur. *LESS. l. I de Sum. bon., c. II.*

DAMNUM. — Fr. Egidius dicere solebat, parva negligentia, et exigua culpa posse auiti gratiam, quæ postea reparari vix queat. *LIREUS., Apoph. l. 1. 1.*

M. Varro, cum suasisset, ne quis rusticana prædia juxta lacunos, palustriæque loca construeret, quæsitus, quæ de causa id suaderet, respondit : Inde animalia minuta crescere, quæ oculis quidem conspicui non queant, sed per aera intus in corpus per os, et nares attrahantur, et difficiles morbos

TOMUS III.

creant. *VARRO, l. I. de Agric. c. XII.* Idem contingit, qui prope mundum palustrem habitant, et minuta peccata sine horrore admittunt.

Quæmadmodum, teste Poeta,

Parva necat morsu spatiosus viperæ tanram,
A cane non magno sepe tenetur aper.
Ita non levius damnum a peccatis levibus timendum est.
OVID., l. II, de Remed. amor.

AUCTORES.

Julius Nigronus in speciali tract. de Cura minimorum.

Nicolaus Lancizius opusc. II, proœm., et opusc. V, c. IX, et X.

Hadrian. Lyraeus in *Apoph.*, V. S. Ignatii l. I.

Henricus Engelgrave, part. I *Lucis Ev.*, embl. XII et XIII.

Paulus Barry in *Solitudine Hagiophila* dissert. l. Oct. diei.

Alph. Rodrig. de *Perf.* part. I, tr. I, c. IX et X.

MISERICORDIA ERGA VIVOS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, quo dolemus, et tristamur de miseria proximi, quam, si commode possumus, a fratre depellimus, et ei per auxilium spirituale, aut temporale, subvenimus. S. GREG. in *lib. de Beat. Ant.* ut S. Greg. Nyssenus definit, est erga eos, qui ob res aliquas tristes, ac molestas se discruciant, cum dilectione conjuncta affectio. Dicitur est a misero corde eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, et ei compatiens animus tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet, cui intendit. S. GREG. in *Mor.* Differt a miseratione, quia per misericordiam miserentis affectum intelligimus, per miserationem vero ipsam misericordiæ exhibitionem signamus juxta id, quod scriptum est : Misericors et miserator Dominus; superfluum enim esset, utrumque ponere, nisi esset varietas in significatione. *Id. in Ps. psen.* Unde

Hugo ait: Differunt misericordia, et miseratione, sicut fons et rivulus: misericordia enim est quasi fons affectus, miseratione quasi rivulus affectus.

Divitio. — Dividitur potissimum in corporalem et spirituales; illa est, per quam miseria corporalis sublevatur; ista, per quam animæ salutis consulitur.

ACTUS CORPORALIS MISERICORDIÆ. — *Esurientes pascere*, juxta illud Christi: Esurivi, et dedistis mihi manducare. *MATT. XXV, 13.*

Potare sitientes, juxta illud Christi: Sitivi, et dedistis mihi bibere. *IBID.*

Operire nudos, juxta illud Christi: Nudus et operuistis me. *IBID., 36.*

Captivos redimere, juxta illud ejusdem: In carcere eram, et venistis ad me. *IBID.*

Ægrotos invisere, juxta illud ejusdem: Infirmus, et visitastis me. *IBID., 35.*

Hospitio peregrinos suscipere, juxta illud ejusdem: Hospes eram, et collegistis me. *MATT. XXVI, 10.*

Mortuos sepelire, juxta illud ejusdem: Opus hominum operata est in me: mittens enim unguentum hoc in corpus, meum ad sepeliendum me fecit. Et illud S. Raphaelis: Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *TOM. XII, 12.* Cur autem hujus actus mentionem non fecerit Christus, dum reliquos expressit, rationem S. Aug. esse putat, quod esset omnium minima, et obscurissima. S. Aug. *de Card. pro mort. c. III.* S. Chrys. vero censet, et ideo factum, quod sponte sua homines elemosynam faciant, et in ea per abusum facile excedant, ut, dum pietiosis vestibus induuntur, cadavera divitum, quæ rectius pauperibus darentur. S. CHRYS. *hom. LXXXIV, in Joan.* Porro hæc septem opera sequenti versus memorie causa sunt comprehensa:

Visitio, potio, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

ACTUS SPIRITUALIS MISERICORDIÆ. — *Pecantes corrigere*, juxta illud S. Scripturæ: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum. *MATT. XVIII, 19.*

Ignorantes docere, juxta illud Siracidis: Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum. *ECCLES. XVIII, 13.*

Dubitantibus recte consulere, juxta illud ejusdem Siracidis: Si est tibi intellectus, responde proximo. *ECCLES. V, 14.* Id quod

etiam S. Hieronymus commendat dicens: Quos non potes opibus, consilio adjuva, solatio fove. Plus enim potes in angustia constituto præstare sapientia, quam quilibet maxime potestatis. Quia, ut S. Ambr. ait, facile pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur, pecunia minuitur, et cito deficit. Consilii collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, et in suum fontem recurrit. In se enim refluit ubertas prudentia, et quod pluribus fluxerit eo abundantius fit omne quod remanet. S. AMBR. *l. II de Offic. c. XV.*

Mestos et afflictos consolari: juxta illud Siracidis: Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula, ex his enim in dilectione firmaberis. *ECCLES. VII, 18.*

Condonare injurias, juxta illud Ecclesiastici: Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *ECCLES. XXVIII, 3.* Et illud: Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. *ECCLES. X, 6.* Quod quidem opus misericordiae S. Aug. omnibus aliis præfert, dum ait: Multa quidem sunt genera elemosynarum, quæ, cum fecimus, adjuvamur ut nobis dimittantur peccata, sed ea nihil est majus, quam cum ex corde dimittimus peccata. S. AUG. *in Eccles.*

Patienter ferre injurias, juxta illud S. Pauli: Suscipite infirmos. Patientes esote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. *AD THESS. I, c. V, n. 14.*

Pro salute proximi Deum orare, juxta illud S. Jacobi: Orate pro invicem, ut salvemini. *JAC. V, 16.* Qui omnes actus memorie facilius causa itidem hoc versu sunt comprehensi:

Consule, plecte, doce, solare, remitte, fer, ora.

GRADUS. — Primus hujus virtutis gradus est, voluntatem habere sinceram, et ardens desiderium omnibus miseris succurrendi: quemadmodum commendavit S. Aug. his verbis: Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac; coronat Deus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: non habeo: charitas de sacculo non erogatur. S. AUG. *sup. Psal. cix.*

Secundus est, teneram cordis compassionem vultu et lingua demonstrare: cuius gradus excellentiam more suo præclare sequentibus verbis declarabit S. Greg.: Plus esse dicimus, compati ex corde, quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur,

minus æstimat omne, quod dat: exteriora largiens, quod est extra seipsum, præbet: qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei etiam aliquid de seipso dedit. S. GREG. *in Mor.* Idipsum confirmans S. Greg. Nazianz. ait: Summi numeris loco alacritatem dona: si nihil habes, collacryma: magnum est infortunato remedium miseratione ex animo collata. S. GREG. *NAZ. or. de Pæp. amore.*

Tertius est, ultro dare non petentibus, et egestati occurrere: non enim satis est, teste S. Aug., perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Festina, o pietas, et occurre: ne tibi vendices, quod Domino debetur. Ita Christus fecit hortans discipulos: Date illis vos manducare. *MATT. XIV, 16.* Ita Deus quotidie dona sua etiam non petentibus largitur. *TOM. X. hom. L. hom. XLIX.* Unde recte S. Aug. iterum, magnum est opus elemosyna, inquit, ut homo faciat, quod facit Deus. Felix proinde, qui, ut Claudianus cecinit:

Nil negat, et sese vel non poscentibus offert. Quia, ut recte Seneca advertit, cum homini probo os concurrat, et suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit verbum molestum, onerosum, et demisso vultu dicendum rogo: nec res ulla carius constat, quam quæ precibus empta est. Ideo divinanda cuiusque voluntas, et, cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. Sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium jucundum victurumque in animis scias, quod obvium venit. *LIB. II, de Bon., c. I.*

Quartus gradus est, etiam necessaria sibi subtrahere, et pauperi dare: hoc enim maximum incentivum misericordiae est, inquit S. Ambrosius, ut compatiatur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus, et plus interdum, quam possumus. S. AMBR., *in orat. de funere Patris.* Sic S. Gregorius Nazianz. de patre suo testatur, eum etiam necessaria liberali affectu erogasse; matremque suam sæpius dixisse, se libenter seipsam et liberos venditiram, ut in pauperum usus insumerentur. Id quod reipsa S. Paulinus præstitit. S. PAULIN., *epist. XXVII.* Sed et S. Hieronymus testatur, Paulam romanam etsi opulentissimam eo usque omnia in pauperes erogasse, ut ne quidem nummum filia

reliquerit. S. Benedictum quoque, cum Provincia, in qua vivebat, fame laboraret, omnia Monasterii sui bona in pauperes erogasse. S. Gregorius scribit, qui et ipse, cum quondam nihil aliud, quam scutellam argenteam haberet, hanc ipsam pauperi dari jussit, dicens, malle se nihil habere, quam pauperem sine consolatione dimittere. S. GREG., *l. II, Dialog., c. XXVIII.* S. Joannes Eleemosynarius vero etiam lectorum stragulam pauperibus dedit, iisque tantam liberalitatem mirantibus dixit: Fratres, nondum pro vobis sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus Jesus Christus. *JO. DIACONUS in Vit., c. X. LEONTIUS, in Vit.*

Omnia sua bona per Religiosos ingressum pauperibus reliquere: juxta Christi consilium: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo; et veni, sequere me. *MATT. X, 21.* Qui gradus merito perfectissimus censetur, quia, teste S. Hilarione, nemo melius erogat, quam qui nihil sibi reservat. *In vita.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. *JAC. I, 27.*

Misericordiam et justitiam custodi, et spera in Domino Deo tuo semper. *OSEÆ. XII, 6.*

Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. *LUC. VI, 36.*

Estote invicem benigni, misericordes, domnantes invicem, sicut et Deus in Christo domnavit vobis. *EPH. IV, 32.*

Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, libenter impertiri stude. *TOM. IV, 8.*

Non deerunt pauperes in terra habitatio- nis tuæ: ideoque ego præcipio tibi, ut aperi- as manus tuas fratri egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. *DEUT. XV, 11.*

Erue eos, qui ducuntur ad mortem: et qui trahuntur ad interitum, libera non ces- ses. *PROV. XXIV, 11.*

Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi, ne incidas. *ECCLES. XXIX, 27.*

Hæc ait Dominus exercituum dicens: Ju-

dicium verum iudicate, et misericordiam, et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. ZACH. vii, 9.

Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum? MATT. xviii, 33.

Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare. PROV. iii, 18.

NECESSITAS. — Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. MICH. vi, 8.

Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. JAC. ii, 13.

Qui calumniatur egentem, exprobrat Factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. PROV. xiv, 31.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defecerit, recipiant vos in aeterna tabernacula. LUC. xvi, 9.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? I JOAN. viii, 17.

Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. ECCL. xxix, 12.

Discedite a me maledicti in ignem aeternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc. MATT. xxix, 41.

UTILITAS. — Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. PS. xl, 1.

Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui, et invenies gratiam, et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus. PROV. xi, 3.

Benefacit animæ suæ vir misericors. PROV. xi, 17.

Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. TOB. iv, 11.

Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. ECCL. xxix, 15.

Peccata tua eleemosyna redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Forsitan ignosceat tibi Deus. DAN. iv, 24.

Fœneratur Domino, qui miseretur paupe-

ris, et vicissitudinem suam reddet ei. PROV. xix, 17.

Benefacis justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino. ECCL. xii.

Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, oriatur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt, sicut meridies, et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, et splendoribus implebit animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. IS. xxxvii, 40.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. MATT. x, 42.

Qui pronus est ad misericordiam, benediceatur; de panibus enim suis dedit pauperi. PROV. xxii, 9.

Qui dat pauperi, non indigebit; qui despiciat deprecantem, sustinebit penuriam. PROV. xxviii, 27.

Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. MATT. iii, 27.

Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. II COR. ix, 6.

Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. LUC. vi, 38.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, et ministratis. HEBR. vi, 10.

Superaxallat misericordia iudicium: iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. JAC. i, 13.

DIGNITAS. — Induite vos ergo sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. COROS. iii, 13.

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. PS. cxi, 9.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. ECCL. xxxi, 41.

Facere misericordiam et iudicium, magis placet Domino, quam victimæ. PROV. ii, 3.

Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona; hæreditas sancta nepotes eorum; et in testamentis stetit semen eo-

rum, et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. ECCL. xlii, 10.

Frangere esurienti panem tuum, et egenos vagosque inducere in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius oriatur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. IS. lxxviii, 7.

JUCUNDITAS. — Jucundus homo, qui miseretur et commodat: disponet sermones suos in iudicio. PS. cxi, 3.

Hæc est requies mea: reficite lassum, hoc est meum refrigerium. IS. lviii, 14.

MISERICORDIA IN SPECIE.

ESURIENTES PASCENS. — Frangere esurienti panem tuum. ISAL. lviii.

Esurivi, et dedistis mihi manducare. MATT. xxv.

Miseratur et misericors Dominus, escam dedit timentibus se. PS. cx.

SITIENTES POTANS. — Sitivi, et dedistis mihi bibere. MATT. xxv.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. MATT. x.

NUDOS OPERIENS. — Nudus eram, et cooperuistis me. MATT. xx.

Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. ISAL. lviii.

Si despexi pereuntem, eo quod non haberet indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. JOB. xxxi.

Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. LUC. iii, 9.

Si frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, calefacimini, et saturamini, et non dederitis ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? JAC. vii.

CAPTIVOS LIBERANS. — In carcere eram, et venistis ad me. MATT. xxv.

Spiritus Domini super me, et misit me, ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. ISAL. lxi.

Dimittite eos, qui contracti sunt, liberos. IBD., c. xviii.

Si abstuleris de medio tui catenam (In

carceratos liberando) tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et gloria Domini colliget te. IS.

INFIRMOS VISITANS. — Infirmus eram, et visitastis me. MATT. xxv.

Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis. ECCL. c. vii.

Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. THESS. x, 50.

HOSPITES SUSCIPIENS. — Hospes eram, et collegistis me. MATT. xxv.

Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. HEB. xiii.

Egenos vagosque inducere in domum tuam. ISAL. lviii.

SEPELIENS MORTUOS. — Quando mortuos per diem abscondebas in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. TOB. xii.

Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelivistis eum. II REG. ii.

Mortuo non prohibeas gratiam (sepultura) non desis plorantibus in consolatione. ECCL. vii.

Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, et honorem habeis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. TOB. iv.

Panem tuum, et vinum tuum super sepulcrum justii constitue. IBD.

EX SS. PATRIBUS ET DOCT.

Misericordia in communi.

QUALITAS. — Eleemosynæ magnitudo non in pecuniarum multitudine indicatur, sed in dantium promptitudine. Et propterea qui calicem aquæ frigidæ dedit, factus est acceptabilis, et quæ duo minuta erogavit, ut dicamus, quod Deus ubique mentem requirit. Et apostolus: Si voluntas prompta est, secundum quod habet, accepta est. S. CHRYS. hom. xxxiv, ad Popul.

Non ad hoc accepisti, ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynam erogares. IBD.

Superflua diviti, necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet. S. AUG., in Psal. cxlvii.

Tibi superflua sunt, sed Domini pauperes clamant: Nostrum est, quod effunditur. Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur. IDEM, in *Joan.*

Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, et iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis, et bene acquisitis impenditur. S. GREG., ep. cx.

Duo sunt, quæ continent misericordiam: alterum est internus commiserationis in corde sensus: alterum externa mali propulsio, si fieri queat. Ubi adjuvantes manus porrigere non datur, non minus habendi sunt misericordes, quod omnibus competere potest; est enim misericors, qui tantum indolescit fraternam charitate alienis calamitatibus si non possit re ipsa subvenire. Ideo Clemens Alexandr., l. IV Stromatum: Misericordes esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint. Quibus adest, ut sponte et libera voluntate operentur.

Misericordem esse, est habere miserum cor de miseria aliorum, quando illam reputamus quasi nostram: de nostra autem dolemus, et studemus repellere. S. THOM., in *Matt.*, c. v.

In quo opere etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas; quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentie quantitate. S. LEO, s. 3, de *Collect.*

Misericordia est animi condolentis affectus cum additamento beneficii, ut compatiatur de proximo et largiamur de proprio. AUGUST., de *Vinit.*

Misericordia verum est Sacrificium, si propter Deum fiat. AUG. de *Civit. Dei*, cap. vi.

Sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. GREG., xx, *Moral.*

Misereri volens proximo sibi ipsi primum debet misereri. IDEM, xix *Moral.*

NECESSITAS. — Misericordie virtus tanta est, ut sine illa cæteræ, etsi multe sint, prodesse non possint. Quamvis enim aliquis fidelis sit, et castus, et sobrius, et aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.

Quæ stultitia est, illic relinquere, unde exiturus es: et illic non præmittere, quo iturus es; illic ergo substantiam tuam colloca ubi patriam habes. S. CHRYS., in *Matt.*, vi.

Discamus misericordes esse omnium causa, maxime quoniam et nos multa indigemus misericordia, et neque vivere nos putemus per id temporis, quo non miseremur. S. CHRYS., in xxxiii, ad *Popul.*

A gehenna vos nemo cruet, nisi a pauperibus auxilium consequamini. IDEM.

Crudele est, ut, de quo habes, non des ei, quem scis non habere. Grave est, ut tua substantia non sustentens egentis inopiam. Unde semper flagellamur in frugibus, quia bene egentibus non facimus. S. AUG., hom. XLVII, ex. l.

Anima sine misericordia sterilis est. Hoc illud est, quo Deo similes nos evadere licet, misereri, inquam, et condonare. Hoc nisi habeamus, privati sumus omnibus. GRANAT, V. *miser.*, fol. 360.

Quid par virginitati; et tamen expellitur, si eleemosynam non habeat. Si vero virgines excluduntur, eo quod hanc congrua non habuerint cum largitate, quis absque ea veniam assequi poterit? Nemo, sed hanc non habentem omnino perire necessarium est. S. CHRYS., hom. xxxv, ad *popul. Antioch.*

Qui sibi soli vivit, et omnes negligit, superfluus est, et nec homo, nec generis nostri. IDEM.

Quasi nec alias virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant sinistri: sed illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas ut pro plenitudine omnium virtutum, et pro summa omnium commissorum, et per unum bonum illi introducantur in regnum, et per unum malum isti mittantur in ignem æternum. S. LEO, s. 5, de *Collect.*

UTILITAS. — Nulla omnino re, perinde, ut misericordia, Deus conciliatur. Quandoquidem nec aliud quicquam Deo magis proprium est, quippe quem misericordia, et veritas præcedant. S. GREG. NAZ., or. de *Paup. mor.*

Demus usuram, sed Deo, non homini. Ei damus, qui abundat; ei damus, qui dedit, quod demus. Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis æterna, sine fine manentia. Quid multa dicturus sum? se promittit, qui promittit; si amas illum, eme illum ab illo, et ut noveris te ipsi dare, audi illum dicentem: «Esurivi, et dedistis mihi manducare.» S. AUG., hom. xxix, in *Joan.*

Quatuor temporales gratiæ promittuntur viro misericordii. Prima est gratia conservans:

secunda gratia vivificans: tertia gratia consummans: quarta gratia liberans. Prima gratia conservans nominatur, et de hac Propheta subdit: «Dominus conservet eum,» id est, cum alia, cum tota familia sua, atque cum omnibus bonis suis servet; unde Propheta inquit ps. cxxlv: «Custodit Dominus omnes diligentes se,» scilicet in membris suis. Secunda est gratia vivificans, et de hac Propheta subdit, «et vivificet eum,» scilicet misericordem: quia «misericordia,» sicut Apostolus ait: I Tim. iv: «Promissionem habens vite, quæ nunc est.» Tertia est gratia consummans: et de hac subditur: «Beatum facit eum in terra,» id est, in præsentis vite. Quarta est gratia liberans, scilicet a peccatis vel penis, quæ insurgunt ex suggestionibus diaboli: unde sequitur: «Et non tradat eum in manibus inimicorum ejus.»

Non timeatur in eis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit, et pascitur; in omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, et erogando multiplicat. S. LEO, f. 10, de *Quadr.*

Peccatis tuis vendidisti es? redime te pecunia tua; vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. S. AMBR., s. de *Elia.*

Duo sunt opere misericordie, quæ nos liberant; quæ breviter ipse Dominus posuit in Evangelio dicens: «Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis.» Dimittite, et dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet: Date, et dabitur vobis, ad præstandum beneficium pertinet. S. AUG. xv, de *Ver. Dom.*

Aspice, quemadmodum Deus in tuas manus misericordiam posuit, ut, si velis misericordia tua tecum uti, memineris etiam tecum proximo tuo idem debere facere, et tunc mihi crede, Deus suam misericordiam, benignitatem, mansuetudinem non denegabit tibi. DR. STELL., ap. Mansi tr. 57, disc. 3.

Christus beatitudinis amplissima proponit præmia, et ut amor ob excellentiam non plene remuneratur, neque rependitur, nisi amore, ita misericordia nostra ob sui præstantiam non pensatur, nisi Dei misericordia. SALMERON.

Mercatura, negotiatioque tua cælum est: da panem, et accipe paradikum: parva da, et magna suscipe: da mortalia, et accipe immortalia. S. CHRYS., hom. ix, de *Penit.*

Gravis est nobis inimici tentatio, sed longe

gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus, atque versutia, sed multo amplius nos nostra misericordia torquet. S. BRAN., in *Dedic. Eccl.*, f. 3.

Magis valet eleemosyna contra jacula inimici, quam arma terrena, quia hæc dubiam illa certissimam parit victoriam. GLOSS., sup. *Eccl.*

Beati illi, qui subveniunt miseris; quoniam eis rependitur, ut per misericordem Dominum de miseria liberentur; nam idipsum videtur justum, ut, qui a potentiore juvari vult, adjuvet inferiorem, in quo est ipse potentior. S. AUG., de *Serm. Dom.*

Non nemini me legisse, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interesseos, et impossibile est, multorum preces non audiri. S. HIER., in *epist. ad Nepot.*

Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum, hæc est, quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. S. CHRYS., in s. sup. *Math.*

Pæcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum. Vix cæli est pauper, per quam venit ad Patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. S. AUG., s. 23, de *Ver. Dom.*

Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo quod dedi tibi: de meo quaro. Da, et redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te feneratorem. Temporalia mihi das, æterna restituam: teipsum tibi reddam quando te mihi reddidero. IDEM.

Si vis esse mercator bonus; fenerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non potes amittere. Da modicum ut recipias centuplum: da temporalem possessionem, ut consequaris æternam hereditatem. S. AUG., in *Epist.*

Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est domum, sed mutuum: quia, quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur. S. GREG., in *Reg.*

Melius servatur pecunia, quæ in dextra pauperis collocatur: hanc calumniator non extorquet, invidus non criminatur, latro non auferit, fur nocturnus non diripit, servus fugam meditans non invadit, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. S. CHRYS., in s. sup. illud: *Nolite thesaur.*

Nulla omnino res est, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac misericordia S. GREG. NAZ. in orat. de *Paupert. amore.*

Eia carissimi, hodie ostendam qualiter est ars omnium artium quæstuosissima, eleemosyna. Si enim artis est proprium, ad aliquam utilitatem pervenire, eleemosyna vero nihil est utilius, clarum est profecto, quod et ars, et omnium est optima. S. CHRYS., hom. xxxix, ad popul. Antioch.

Miseri homines, qui in morte peccati aruerant: ad vitam eleemosynis reviviscunt, estque illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium, ut flammæ quas peccando sibi incenderant, largiendo restinguant. S. MAX., hom. 1, de Eleem.

Quamvis pollutus, quamvis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna, quod avaritia polluebat: et maculam quam res alienas diripiendo contraxeras tuas erogando purificas. Vide ergo, quæ sit misericordiæ gratia, quæ una et sola virtus cunctorum est: redemptio peccatorum. IDEM.

Per misericordiam pauperum, misericordiam paremus, ut possimus esse de pena liberi, de salute securi. S. CHRYS., hom. viii.

Manus pauperis est Abrahæ sinus, ubi quidquid pauper acceperit mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. IDEM, hom. de Jejun. et elem.

Misericordia Dei, est summum solatium mortuorum. GREG. II. Moral.

Misericordia est salutis præsidium. S. CHRYSOST., de Misericordia.

EQUITAS. — Quemadmodum artificum unusquisque propriam artificii sui scientiam novit, sic divites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec navem extruere, nec aliud hujusmodi artificium norunt. Illam igitur artem discant, ut divitiis recte, et ut deceat, utantur. Non est enim certe ars illa contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus esse, præcipua enim est, et aliis artibus multo præstantior. Hujus artis officina in cælo est, hujus non a ferro, neque ab ære instrumenta sunt, sed voluntate sola, et benignitate mentis extracta. Hu-

jus Magister Christus est, et Pater ejus: « sitis misericordes, inquit, sicut et Pater vester, qui in cœlis est. » S. CHRYS., ho. lxx in Matth.

DIGNITAS. — Omnis summa Christianæ disciplinæ in misericordia et pietate est. S. AMBR.

Misericordia largior, ubi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis. IDEM de Offic.

Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitator. S. GREG. NAZ., in orat. de Paupert. mor.

Melius est, artem eleemosynam dandi scire, quam esse Regem, et diademate coronari. Hæc namque te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa honorum. S. CHRYS. hom. xxxiii ad pop. Ant.

Eleemosyna amica Dei consistit, et semper ei propinqua est: pro quibuscumque voluerit, facile munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit: fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, et veluti Reginæ intranti nullus custodum, qui assistunt, audeat dicere: quæ tu es? aut unde? sed omnes eam a regione suscipiunt. IDEM, l. IX sup. Matt.

Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias tanquam insignitus propria nota Deitatis? S. GREG. DE NYSS., l. de Paenit.

Dominus misericordiam mavult, quam sacrificium, ac pinguum annorum myriades commiseratio superat. S. GREG. NAZ., in orat. de Paupert. amor.

Magna res homo, et pretiosa vir misericors. Hæc major est gratia, quam mortuos resuscitare. Multo namque majus est, esurientem pascere Christum, quam in nomine Jesu mortuos suscitare; nam illic quidam tu de Christo bene mereris, hic autem ipse de te. Ac merces est in bene gerendo, non in bene patiendi. His in signis ipse Deo debes, in eleemosyna vero Deum habes debitorem. S. CHRYS. hom. xxxvi ad pop. Ant.

Præclara et divina res (eleemosyna), fratres carissimi, salutaris operatio, solatium grave credentium, securitatis nostræ salutis præsidium, munimentum spei, tutela fidei. S. CYPR., l. XIX de Eleemos.

Tanto quisque perfectior est, quanto per-

fectus sentit dolores alienos. S. GREG. l. XIX Mor.

Eleemosyna in utraque vita claros exhibet, in ista famam comparans preclaram, in illa gloriam tribuens æternam. S. CHRYS.

Ubi Deus curam misericordiæ, ibi et imaginem suæ pietatis invenit. S. LEO. s. 10 de Qu.

O praprandis eleemosynæ virtus! divites sanctificat, mortuos suscitatur, et immortalitatem mortalibus donat. Eleemosyna charitatis soror, egenorum vita, sanctimoniam Antistita, virtutum Regina. S. CHRYS., t. I, de Pen.

Sola misericordia est, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. CASIOD. in Epist.

Si et tu gloriam ex divitiis quæris, cognosce, quia melius est mille filiorum, quos per misericordiam acquisieris, quam mille aureorum dominum dici. Facultates namque relinquuntur hic, etiamsi nolimus, bonorum vero operum conscientia nobiscum pariter pergit ad Deum. S. AMBR. s. 81.

Quod si Magistratus in theatris mimis et athleticis et gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum pene patrimonium suum largitur ac prodigit, ut unius horæ favorem vulgi nimirum acquirat, nihil sibi ulterius profuturum: tu dubitas, et cunctatis munifens esse in hujusmodi largitionibus, in quibus Jndex residet Deus, faventium et acclamantium vulgus sunt Angeli: ubi omnes, qui a sæculo fuerunt, sancti laudatores et prædicatores tui sunt, ubi laus et favor non simul cum die cessat, sed cum sæculis permanet: ubi corona tibi non auri, sed justitiæ dabitur: ubi honores non unius urbis, sed cœlorum regna mereberis. IMM.

Tanto aliqua virtus est melior, quanto facit hominem Deo similiorem, quia per hoc melior est homo, quod Deo est similior; et hoc maxime facit misericordia, quia de Deo dicitur in Psalmo: « Quia miserationes ejus sunt super omnia opera ejus. » Unde et Luca vi, Dominus dicit: « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. »

Contemplari debes excellentiam misericordiæ, quæ homines similes Deo facit, et in illa re similes, quæ gratiosior, et diviniorem in ipso est: nam certum est quod major perfectio, quæ reperiri potest in creatura, est similem esse Deo, et quanto magis hujus similitudinis obtinuerit, tanto per-

fectior erit: si omne animal diligit sibi simile, si misericors similis est Deo, certum est, quod a Domino magis diligetur: nam cum Dominus infinite misericors sit, omnes eos diligere debet, quos invenierit misericordia indutos, tanquam legitimos filios, qui ei assimilentur. Quid, obsecro, in mundo esse potest tanta æstimatione dignum? Si tanti æstimantur homines, cum Regum, et Principum familiares et amici sunt, quo prætio æstimari debeat ea virtus, quæ nos Deo conjungit, et illi similes facit? DID. STELLA in c. vi Luc.

Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa ceteræ etsi sint, prodesse non possunt. LEO PAPA in fer. de Appar.

Misericors magnus homo et honorabilis vir S. CHRYS. de Paen. hom. vii.

JUCUNDITAS. — In tali casu operarius felix vivit, et securus moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterum pascit dando. Nullam poterit incurere perniciem, qui eleemosynis comparaverit pietatem.

Quæ illa erit, fratres carissimi, operantium gloria, quam grandis, et summa lætitia, cum populum suum cœperit Dominus preensere, et meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna prestare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit. S. CYPR. de Clem.

Quisquis copiosum in cœlis fructum desiderat, semina dum tempus est, non omittat, ut manipulos in die messis cum lætitia colligat. Nam qui seminant in lacrymis, cum exultatione et gaudio metent. Ibi desideria figite, ubi quidquid retribuitur, finem non suscipit. S. GREG., Epist. ad Savinellam.

FACILITAS. — Numquid grave et onerosum quidpiam a nobis requirit? necessitatem excellentia vult nos facere necessaria, et quæ inutiliter reposita, hæc vult bene distribui, ut hinc occasione sumpta nos coronet. S. CHRYS. hom. xxxiv ad Pop.

Quod si difficile tibi putas, o homo, magnificentiam divinæ largitionis imitari, imitare terram; si levare oculos sursum non potes, saltem ea, quæ deorsum sunt, et in pedibus tuis intueri. Affer tu fructum, sicut terra; non esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus, quos affert, non suis visibus vindicat, sed tuis ministrat ob-

sequis : tu vero fructus illius solus invadis, et tibi soli concludis. S. AMBR. XI.

An te oculos Dei nunquam est manus vacua a munere, si arca cordis plena est bona voluntate.

MISERICORDIA IN SPECIE.

ESURIENTES PASCENS. — O quid agit amor pauperis! inquit Chrysologus : gloriatur in cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra. Et paulo post subdit: In cœlo prima est esurientis amona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo. Quod Abel passus sit, quod servavit mundum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses Legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, et hoc clamatur solum, quod comedit pauper. S. CHRYS., 14.

Quis unquam capere poterit, inquit idem Sanctus, quod fructum panis dator omnium querat? « Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare. » Non dixit esurivit pauper et dedistis illi manducare : sed, Esurivi ego, et dedistis mihi manducare. Nimis est, quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in Regno cœli coram omnibus Angelis, in conventis resurgentium. IDEM.

Considera, Christum se vocare pauperem, nudum, infirmum etc. Tanta est enim unio Christi cum corpore suo, ut illo ægrotante ægrotet, illo esuriente esuriat. Unde pulchre Origenes in hæc verba scribit : Sicut anima habitans in corpore, cum non esuriat, quantum ad suam substantiam spirituales, esurit tamen unumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo; sic et Salvator patitur, quæ patitur corpus ejus Ecclesia, cum sit ipse impassibilis quantum ad suam divinitatem.

SITIENTES POTANS. — Dicitur opus misericordie propter conditionem potus; licet enim aqua nullius valoris sit, et a quolibet inveniatur, est tamen opus misericordie circa potum dandum, id est, quod detur vinum, quia aqua non est potus conveniens cuilibet, sed aliquibus noxius, juxta illud I TIM. V: *Noli adhuc aquam bibere, etc.* Dare autem vinum, est facere sumptus. Potest accipi etiam quoad omnem potum, etiam de

aqua, nam quicquid aliquis det alteri, quantumcumque modicum, beneficium ei præstat, et apud Deum non manet sine retributione, si propter eum fiat. Sic dicitur Matt. X, Marc. IX: « Quicumque potum dederit, etc. » ABULENS in c. XXV *Matt.*

Nullus adeo pauper est, qui possit se de misericordie operibus excusare, cum regnum cœlorum correctione calicis aquæ frigidæ possit mercari, imo solo affectu, si desit aqua. DIONYS. CARTH. ap. Mansi tr. 57 d. 22, n. 1.

Primus tibi calicem suum obtulit, tu vel aquam frigidam ei negas; potavit te Spiritu Sancto, quamvis indignus esses, tu nec corporalem hanc situm suam mitigare studes. Nonne magnum ducis, quod calicem illum tenere potes, unde Christus bibiturus est? Nonne vides, quia soli Sacerdoti fas est calicem sanguinis tibi tradere? Nec tantum postulo, quantum dedit, non enim sanguinem, sed aquam frigidam flagito. Cogita, cui potum præbes. S. CHRYS. h. XLVI in *Matt.*

NUDOS TEGENS. — Quid miser judici respondebis? Parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris. S. AMBR. I. de *Nobis*. c. XXIII.

Parietes vestitis auro, homines denudatis? clamat homo nudus, et tu sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias; pecuniam pauper querit; et non habet, et equus tuus aurum sub dentibus mandit. S. BASIL. h. LXVII.

CAPTIVOS REDIMENS. — Mementote victorum, tanquam simul victi. Ita qui eos, vel verbis vivis, vel epistolis consolatoris adhortantur (sicuti B. Cypriano, et Sebastiano diximus) vel qui illis, dum victi sunt, et carcere preunant, necessaria subministrant. Qua in re maxime commendantur in novo Test. S. Anastasia, et S. Praxedes, quæ ampla sua patrimonia in pauperum victorum usus distraxerunt, etc. BELLOT. *Spec. mor.*, I. III, d. XXIV.

Misericordie opus in redimendis captivis positum est, quod præstantissimum est opus, quoniam et animam a periculo abjurandæ fidei, et corpus vilissima servitute liberamus qua una re insignem pietatem declarant suam, qui vel illis commiserentur. Unde Paulus, Hebr. X: *Nam et victis compassi estis, et cap. XIII: Mementote victorum tanquam simul victi.*

INFIRMOS VISITANS. Visitare, de primaria sua significatione importat frequenter visitare; nam cum ægri multas tolerant molestias, opus est, ut alii colloquantur eis, quia per allocationem consolantur: transumitur enim quodammodo malum per visionem, et allocationem, quod multipliciter sit. Primo, quia quamdiu ægri colloquantur aliis, non ita sentiunt molestias suas, sicut quando soli sunt: et ideo, ut dicit Aristoteles, 9. Ethic., valde mali non possunt apud se ipsos manere, quia cogitatio malorum præteritorum affligit eos, et cum sunt cum aliis, consolantur. Secundo, quia visus assistentium, et maxime amicorum consolabilis est, et dimittit aliquid de malo. Tertio, quia illi ex colloquio dant bonam spem ægro, et faciunt illum oblivisci aliquid malorum, quæ patitur, et minus judicat esse, quod patitur, et opinio tollit multum de afflictione ægri. Quarto sit, quia malum quodammodo transumitur, et non fit hoc realiter, quia malum unius non potest in alterum transire etiamsi sit morbus contagiosus; sed quia æger videt alios sibi condolere, judicat minus esse malum suum, quia aliquis est, qui pro eo doleat. ABULENS in c. XXV *Matt.*

Cibum porrigere, medicamentum adhibere, vulnus alligare, de calamitate aliquid percontare, de patientia orationem. habe S. GREG. NAZ. or. 27, de *Paup. amor.*

Necesse est, quod omnia, quæ pertinent ad revelationem ægri, accipiantur nomine visitationis. Est ergo ei necessaria visio, et allocutio propter consolationem, necessaria est etiam administratio, quia infirmus non potest sibi ipsi ministrare. SALMERON tom. VII, tr. XXVII.

Duo potissimum beneficia nostra visitatione præstantur: alterum sublevandum, si possimus, ab ægri tudine, eorum inopie quacumque ratione succurrendo: alterum, quod præstantius est, commune faciendo de his, quæ ad animæ salutem pertinent, atque suggerendo, ut patienti invictio animo, et cum fructu, flagellum Domini tolerent: invitando, si res ferat, ad crebram Sacramentorum, penitentia videlicet, atque Eucharistie susceptionem, et ad muniendum et preparandum pectus, contra mortis ingruentis impulsus, contraque extremos mortis agones, et luctus. IDEM, tom. V, tr. XXVI.

HOSPITES COLLIGENS. — Valet hospitalitas

ad duo: ad defensionem a nocivis, sive ex parte temporis, id est frigoribus, caloribus, pluviarum, et ventorum, vel hominum, vel brutorum. Secundo, ad operiendum turpitudinem etc. Magnæ misericordie est, quia multa incommoda, et mors sequi potest, si maneat qui extra hospitium continuo per diem, et noctem. A Christo, ut magnæ misericordie opus positum est, maxime quia in recipiendo hospites in domum, possunt sequi incommoda suscipient, juxta illud Ecclesiastici, II: « Omnem hominem ne inducas in domum tuam, multa enim sunt insidia dolosi. » Sustinere autem hæc, vel exponere se eis, difficultas est. ABULENS. in c. XXV *Matt.* q. 17A.

Non leguntur alia Lot benefacta, nisi quod hospitalitatis prærogativam dilexerit, quod maluit turpitudini filias exponere, quam ut in hospites aliquid turpis ageretur. Hæc illi hostia fuit, hoc sacrificium: sulphur et ignem evasit Sodomorum.

Quid nos ad hæc dicturi sumus, fratres? inquit S. Augustinus, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas, et spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantem, imo non credentes, quod in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dixit: « Hospes fui, et suscepistis me; » laboriosum, et fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in patriam nostram; timeo, ne nobis ille vicem reddat in cœlo, et nos non recipiat in beatitudine suam.

SEPELIENS MORTUOS. — Si videntes ad longiora in domum reducere solemus, quanto magis debemus operire defunctos, in illam terram profectos, unde jam non revertuntur; « Ego, inquit Job, super omnem defunctum flevi. » S. AMBR. ap. Mansi, tr. LVII, dis. XXVII, n. 1.

Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi jam non possit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Vere hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse homines denegabunt? *IBID.*, n. 7.

Nec ideo tamen contemnenda, et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum, atque fidelium, quibus tanquam organis, et vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. *IBID.*, n. 2.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Misericordia in communi.

QUALITAS. — B. Virgo quam excellens fuerit, et etiamnum sit in hac virtute, pulchre S. Bernardus sequentibus verbis declarat: Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigaret? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris, et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum impletum, infernus evacuatus est, instaurate ruinæ cœlestis Jerusalem, expectantibus miseris vita data. Sic potentissima et piissima charitas et affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectum, æque locuples in utroque. Sed et S. Gregorius Nicomediensis de ea scribit: Ambrosius nutrimentum de manu Angeli accipiebat, eoque reficiebatur: victum vero, quem a Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogavit. S. GRÆG. NICOM. *de Obl. Mart.*

S. Laur. Martyr hæreditatem totam a Xisto Pontifice relictam in Clericos pauperes distribuit. Jussus postea a tyranno Thesaurus a Xisto relictos ostendere, collectos undique pauperes ostendit dicens: Ecce isti sunt thesauri aeterni, qui nunquam minuuntur, sed crescent: qui in singulis disperguntur, et in omnibus inveniuntur. S. LAUR. l. IV, 10 aug.

S. Nicolaus, ut pudori trium virginum pauperum consuleret, tribus diversis noctibus tantum auri projecit in domum, quantum sufficit ad singulas honeste collocandas. S. NICOLAUS in vita, 6 Dec.

S. Job de seipso dixit: Ab infantia mecum crevit miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si desepi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus: de verberibus ovium mearum calefactus est. Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculis viduæ expectare feci. Si comedi bucel-

lam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. JOB. XXXI, 13 et seq.

SS. Ambrosius, Augustinus, Cæsarius, Gallus usque adeo profusi erant in pauperes, ut calices, et vasa sacra stipem facerent. S. Gallus vero etiam dicere solitus: Meus præceptor Columbanus æneo calice sacrificavit, Christus in cruce ferreum suo sacrificio adhibuit, siquidem clavium suum sanguinem propinavit. DREX in *Gasoph.* p. 1, c. IX, § 1.

S. Joannes Eleemosynarius eidem pauperi ter eodem tempore eleemosynam petenti ter dedit, dicens: Ne forte Dominus meus Christus sit, periculumque misericordiæ meæ facere velit. Pauperes dominos suos appellabat, eo quod hi soli opem ferre possint, ut a Christi regno non excideret. Si quopiam die nullum eleemosynam peteret, graviter tristabatur. Multoties in exultatione invenerunt eum quidam dicentem Deo: Sicut aut tu mittendo, aut ego dispergendo videbimus, quis vineat. Quando nihil habebat, ibat ad negotiatorem, et dicebat: Da mihi unum tremissem, id est, tertiam partem solidi aurei, et tibi serviam uno mense, vel duobus, ut vis, et ubi vis, quoniam esuriunt valde qui in domo mea sunt. Et sumens dabat egenti rogans ut nemini dicat. Mauritio Imperatori pluribus ab eo talentis mutuo sumptis, syngrapham dedit, qua substantiam mutua pecuniæ tanquam hypothecam oppignoravit. Verum cum post mortem ejus Imperator nihil quam lectulum ligneum, et pauperem invenisset, syngrapham discerpit, et lectulo illo, remolo proprio, ad somnum usus est. Cum in civitatem Amathantem venisset, testamentum in hæc verba dictavit: Joannes humilis servus servorum Dei, propter impositam autem Pontificatus dignitatem, Christi gratia liber: Ago tibi gratias, Domine Deus meus, quod me dignum cenferis qui tua tibi offerrem, et quod ex mundi bonis nihil aliud mihi sit relictum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam quoque jubeo dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quando enim Dei permissione creatus fui Episcopus Alexandria, inveni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri; ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures pecunias; quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc

quoque trado animam. S. SURIUS in *Vita et DAURELT.* c. VII, tit. I, p. 4.

S. Elisabeth Landgraviæ Thuringiæ uxor, et Ungariæ Regis filia, quos in plebe magis inopia pressos animadvertebat, ex his compatriuos atque commatruos sibi comparabat, ut eis subveniendi causas haberet. Si quando pecunia non suppetebat, vestimenta vendebat. Cernens pauperulum quemdam nudum efferrî, detracto sibi capitis velamine involvi jussit cadaver. Denique neque nere, texere, fuere suis manibus dedignata, ut de laboris sui peculio eleemosynas dare posset.

S. Thomas de Villanova Episcopus amplius Ecclesiæ reditus usque adeo in egenos dispersit, ut ne lectulum sibi relinqueret; nam, eum, in quo jacebat, cum in cælum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulo ante eleemosynæ loco donaverat. *In brev. Rom.* 18 sep.

Alexander V Pontifex tam munificus et liberalis erat in pauperes, ut per jocum dicere solet, et jure posset se divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem esse. S. SURIUS t. IV, *de Ludo et Epist. Tolos.* ann. 1309.

Andreas Fesulanus Episcopus ita fuit benignus et liberalis in pauperes, ut omnium nomina descripta teneret, nec eos sine lacrymis aspicere posset. *Spec. Episc. Tymp.* sign. LXVIII, n. 4.

Gregorius XIII, nondum Episcopus, quidquid necessariis sumptibus detraxerat, in pauperes studiosos alendos impendebat. Singulis annis septuaginta aureorum millia in Pontificatu pauperibus distribuit. Decies centena millia aureorum in virgines matrimonio elocandas, vicies centena millia in pauperes studiosos, præter sumptus in seminaria erigenda impensas expendit. Singulari vero affectu pauperes patria extorres complectebatur, ita ut nulla prope provincia fuerit, quam ejus effusa largitas non pervaserit; imo ad antipodes usque penetravit. *IBID.*, n. 6.

S. Carolus Borromæus aream eleemosynis pene semper exhaustam, imo quotannis etiam ad multa millia oberatam habebat; neque tamen timebat novas subire impensas in gratiam pauperum. Quin etiam cum Oirensem principatum quadraginta millibus aureorum vendidisset, intra viginti quinque dies omnes has pecunias in egenos, et pia opera distribuit. *IB.*, n. 33.

Tempore S. Joannis Chrysostomi sola

Ecclesia Constantinopolitana quotidie alebat tria millia virginum et viduarum, præter alios mendicos, ægros, leprosos, incarcerationis, advenas, quibus cibum et indumenta dabat. *IBID.*, n. 17.

Margarita Philippî III regiarum virtutum exemplis affatim dives regina, dum Hispanicæ navigationi sævum hyeme se aperit mare, Mediolani subliterat, et domesticæ non immemor disciplinæ, præclara edebat exempla. Itaque cum pauperem pannosum, seminudum, ab hyberno gelu torridum, atque obrigescentem vidisset, accessit e stipatoribus principibus uno, videri ait, miscellum illum argentem? tu ex optimo panno vestem ei a sartore ad modulum scindi actutum cura, moque ad me afferto: factum, quod imperaverat, domum reversa vesti stendens manum admoveat Regina, totamque diligentissime confuit, pauperemque lautum, ac regia stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ gloriosissime operata. I hunc, magne Macedo, et laneas illas sororum tibi manu textas Persis obijce Reginis: habet Christi pauper vestimentum, quo purpurea tanti Regis contemnit amicuia: nam et quovis Regis fastigio Christi nomen deest esse gloriosus.

Adjungam magnæ Reginæ matronam, non fortuna sed virtute comparandam, Corneliæ Lampugnana Mediolanensem. Hæc enim mendicabulorum centunculos sarcire, illis affidere, atque per otium Christianæ disciplina rudimenta docere, cibum non prius capere, quam illos eleemosyna donare, feminis in nosocomio capillum pectere, ac purgare, in more habuit. Verum quia non satis hoc illi videbatur, præclarissimo insuper facinore voluit se esse misericordem. Puellam enim elephantiasi corruptam, atque miserabili spectaculo in publico jacentem, sublatam in domum suam in lectulo collocavit, eum ea maternum in morem cubuit, medicas admovit manus, oculisque demulcens, tandem reddidit sanitati. Nescias, an Corneliæ miseriarum illius participem, an illam jusseris dicas fuisse felicitatis. *IBID.* l. VI.

Bertinorum oppidum in Æmilia est, in eo clara olim, et multis familiis dives Ducum gens, tam prona erat hospitibus recipiendis, ut sæpius patres familias, dum eos quisque domum suam trahit, non sine reprehensione alterarentur. Id porro ne fieret, placuit in foro, in quod hospites primum convenire solebant, columnellam erigere, ansulis, an-

nulvis circum infixis ab unoquoque patres familias ea lege, ut ad cuius annulum hospes equum alligasset, eumve ratione alia tenuisset, illi fas esset, hospitem suo jure domum deducere, lautias præbere, omnique officio colere, aliis præiudicio acquiescentibus hominibus fortem amico livore invidentibus; sed nullus fortunæ splendor hoc charitatis livore non vincitur. *Id.* n. 6.

Inerat Francisco Assinatus ab ineunte ætate tam ardens pauperibus benefaciendi studium, et insita quædam divinitus erga inopes et calamitosos miseratio, prorsus ut neminem pro Dei amore stipem petentem vacuum a se dimittere proponeret. Cum autem quadam vice solis negotiationis intentus tumultibus, præter insolitum morem pauperem a se repulisset, statim pœnitentia ductus, rapido cursu illum asecutus est, et elemosyna clementer impensa, promissit Domino Deo, numquam deinceps se pauperi pro facultate stipem negaturum. Cum vero post in gravem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, cepit ardentius colere officia misericordiæ. Qua in exercitatione tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quicquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquus pater, eum ad Assinatam Episcopum duxit, ut in ipsius manibus facultatibus renuntiaret paternis. Ibi tunc Franciscus coram Episcopo continuo omnibus depositis vestimentis, ea patri restituit, et sic plane nudatus subjunxit: Usque nunc vocavi te patrem in terris, modo autem secure dicere potero: Pater noster qui es in cœlis, apud quem omnem reposui thesaurum, et omnem spei fiduciam collocavi. Quod cernens Episcopus pallio, quo erat amictus eum operuit, præcipiens suis, ut aliquid ei darent, ad membra corporis contenda. *SURTUS*, 4 oct., t. V.

UTILITAS. — Fecerat naufragium Indico in Oceano Alphonsus Albuquerque, eoque in tumultu, dum unusquisque sibi conculsens, amicissimorum facile obliviscitur, ipso dux, ac classis prætor puerum nauticum, qui mari hauriebatur, in humeros sustulit: clamantibusque emctis, ut abjecta sarcina, vicinam ad navim enataret, sperare se dixit ejus infantis innocentia tutum se mediis in undis fore, donec scapha ad excipiendum expeditur, itaque factum fuit: diceret, innocentiam infantis periclitanti Duci pro subere fuisse. *Jo. RHO.*, l. I, c. VII, n. 4.

Ultra omnem expectationem in amplis-

simo hoc sublevarum miseriarum theatro Francisci a puero Jesu virtus spectata est. Nulla est tanta calamitas, nulla adversæ fortunæ injuria tanta adversus quam prompta Francisci charitas non esset, atque ne in legre ejus laudes, aut antiquæ majorum opes, aut studio congestæ opes, partem sibi aliquam audeant vindicare; homo fuit sine lare, sine tecto, sine arca, ipso Iro, aut Furio pauperior. Rursum, ne quid præterquam sibi, eloquentiæ, aut moribus elegantioribus misericordiæ deberet, rustico, ac sub initia propemodum stolido ingenio, sed patientiæ, sed charitatis indomita. Ille iis opibus fretus (mitto enim, quod in nosocomio per triginta annos decumbentibus laboriosissime, et nulla nisi operis ipsius mercede servavit) infantes orbos, aut pudendos parentibus, educare: adolescentibus Compluti, ut Doctores audire possent, stipem emendicare, nobiles puellas collocare, feminis e naufragio libidinis enatantibus tutum portum aperire, pauperibus epulum singulis annis dare, vestibus nudos fovere, afflictis opera, atque gratia, qua plurimum valebat, apud Principes adesse; demum ipse seminudus, ac vili sacco tectus, algens ac nunquam sibi non iratus, omnibus opem ferre, et quantum injuriis, atque etiam non semel verberibus male mulctatus, non ideo potuit abstinere. His ille artibus tantum et vulgi, et Principum favorem collegit, ut, cum omnibus esset venerationi, ab his auferret quod in pauperes diriberet, hominesque ad pietatem pro libitu duceret: neminem facilius homines sequuntur, quam apud quem vitæ præsidia se credunt invenire. *IBID.*, n. 20.

In vita S. Philippi Neri legitur, quod cum Cardinalis Baronius, ex nostra congregatione assumptus, per novem annos continuos hospitalia frequentasset, sæpe contigerit quod, dum febrim obnoxium eo se contulit, domum postea reversus fuerit incalumis et sanus. Nec mirum, quia, ut Hugo Cardinalis ait, pro eo quod viri misericordes miseriarum aliorum tollunt, vel mitigant, vel saltem pro compassionem portant, jure vicissitudinis immunes erunt a propriis, hoc est, quod Propheta regius forsitan insinuare voluit, quando, postquam dixisset, Denique nostras misericordias liberaliter esse remuneraturum: « Qui coronat te in misericordia et miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, » mox quoque subjunxit:

« Renovabitur, ut aquila, juvenus tua: » quia, qui operibus charitatis et compassionis jugiter se impendunt, in possessione, et jure longævæ vitæ existunt. Unde Casarius historiam quamdam de Ecclesiastico, pauperum subsidio vehementer dedito (quia Decanus S. Andræ Coloniz, Henricus nomine, extitit) recensens, non ne siemphasi, illum ad decrepitam usque ætatem vixisse dixit. *VIT.*, l. I, c. x, n. 5.

Cum decedente Constantino Magno Julianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensis quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos, quos diximus, conferebat usus, adeoque Dominum meruit habere defensorem, ut quicumque in eas ingrederetur, ad fisci titulos constituendos, ac pensiones exigendas statim a diabolo obsideretur, et quisquis actorum ejus esset exactor leprosus fieret. *SUR.* 26 jun.

Negue hoc silentium est, quod de Theophanio Ceneretensis urbis Comite, in eadem urbe positus multis astantibus agnovi. Fuit namque vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipue studens, exercendis quidem Comitatus curis occupatus, agebat terrena, et temporalia; sed ut post in fine claruit, magis ex debito, quam ex intentione; nam dum appropinquantis mortis ejus tempore gravissimam aeris tempestatem obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset; cumque uxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam? quomodo te ad sepeliendum eicio, quæ ostium domus hujus egredi præ nimia tempestate non possum? Tunc ille respondit: Mulier, noli flere, quia mox, ut ego defunctus fuero, aeris serenitas redibit: cujus protinus vocem mors, et mortem serenitas secuta est, quod signum etiam alia signa sunt comitata; nam manus ejus et pedes podagræ humore tumescentes vulneribus pleni erant, et profluente sanie putebant, sed cum corpus ejus de more ad lavandum fuisset nudatum, ita manus, pedesque ejus sani inventi sunt, ac si unquam vulneribus nihil habuissent. Ductus itaque ac sepultus est, ejusque conjugii visum est, ut quarto die in sepulchro illius marmor, quod superpositum fuerat, mutari debuisset quod videlicet marmor corpori ejus superpositum cum fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragrantia odoris manavit, ac si ex putres-

cente carne illum pro vermibus aromata feruissent. Et tamen de bono hoc viro sæculari, et conjugato, ac terrenis negotiis jugiter occupato, nullum aliud bonum opus legitur, quam quod misericordiæ operibus assidue dedito fuerat. *S. GREG.*, l. IV *Dial.*, c. xxxvii.

S. Bonifacius adhuc puer cum vestimenta sæpe, quibus tegebatur, et præterea omne horrei, quo mater alebatur, frumentum in pauperes expendisset, ideoque mater valde afflictæ, eique subirata esset, precibus in horreo fuis totum iterum optimo frumento replevit. *Spec. Exemp. tit. Miseric.* ex. I et *S. GREG. Dial.*, c. ix.

Deussedit sutor officio quia quidquid ex necessariis sumptibus supererat, sabbato semper in pauperes distribuit, visa est pro eo domus insignis in cœlo ædificari, in qua tamen struenda solis sabbatinis diebus laborabatur. *S. GREG.*, l. IV, *Dial.*, c. xxxvi.

Anno Christi 193, cum dira fames Provinciam vexaret, matrona quædam genere clara sed misericordia in pauperes nobilior, sine pondere et mensura, quidquid poterat, dabat; cumque omnem jam farinam etiam scopis collectam ancilla ad ejus imperium distribuisset, redire ad cistam jussa, plenam farinam optima invenit: sed et horreum ab eo tempore jussi mariti pro mendicis apertum miraculo grandis ad pauperes toto illo famis tempore alendis suffecit. Ipsa vero domina septem ante mortem diebus continuis aviculam miræ pulchritudinis, insolito cantu eam recreantem, atque, ad cœlestia gaudia invitantem audiebat. *THOM. CANT.*, l. II, c. xxv, p. 7 et 8.

S. Osualdus cum quondam cum S. Aridano Episcopo ad mensam sedens ministro pro elemosynis constituto, et magnam pauperum multitudinem in plateis elemosynam petere nunciant, et cibos et catinos de mensa auferri, et pauperibus distribui jussisset. S. Aridanus manum ipsius apprehendens dixit: Nunquam hæc manus computrescet: quod et factum. *VEX. BED.*, p. 3, *de Gestis Angl.*, 6.

Tiberius Imperator, cum omnes suos thesauros et reditus in pauperes distribuisset, ob id increpatus ab uxore, respondit, Dominum abundanter provisorum; id quod etiam factum; nam in palatio ambulans, dum cruceum eidem inscriptum videt, indignum ratus cruceum pedibus calcari, jussit lapidem auferri, cumque tertium

similiter signatum invenisset, tandem ingentem thesaurum reperit. Sed et Narses Dux militiæ cum mortuus esset senex, quem unicum ille thesauro suo ingenti custodiendo prefererat, Imperatori eum revelavit cuius jussu thesaurus ille ad palatium per aliquot dies deportatus est. Drex, *Gazoph.*, p. I, c. ix, § 6.

Cum Petrus Telonarius mendico impertite elemosynam petenti inivit panem projecisset, et postea subuculam etiam alteri donasset, in iudicium subinde vocatus ob tantillam elemosynam a damnationis sententia liberatus, vitæque restitutus, seipsum tandem vendi curavit, vitamque in humili servitio sancte finivit.

S. Gregorius quia scutellam unicam, quam a matre missam habebat, Angelo sub specie pauperis mendicanti obtulit, promereri ad dignitatem Papalem meruit. *Ibid.*, d. 8, ex. 90.

Erdicius Romanus Senator cum quatuor millia pauperum tempore famis pavisset, eaque cessante ad suam quemque patriam per vehicula reportari jussisset, vocem de celo dicentem audivit: Erdici, tibi et semini tuo panis non deficiet in æternum, quia me famis tempore in pauperibus meis refecisti. *Ibid.*, d. 9, ex. 130.

Cum quedam civitas famosissima in operibus misericordiæ tota refixisset, in vitis autem abundasset, justo Dei iudicio tota igne cœlesti assumpta est, sola consulis (qui per Angelum sub specie pauperis in domo sua receptum ad pœnitentiam excitatus fuerat) domo, et Monasterio illæsis permagentibus. *Ibid.*, d. 90, ex. 20.

Quidam Gentilis suasu uxoris pauca numismata Christo tamquam feneratori offerens, paulo post invento in Ecclesia nummo, coempto pise, gemmam in ventre pretiosam reperit, quam trecentis nummis vendidit, simulque tanto miraculo illuminatus Christi fidem suscepit. *Sophron.*, in *Prato spir.*, 185.

Petrus Vellejus mercator Lusitanus, quia in aliena domo latrunculis ludens S. Francisco Xaverio subito intervenienti, et aliquam pecuniæ summam in pium opus petenti, clavem dederat cum facultate ex trecentis millibus aureorum dimidiam (ut postea diebat) partem auferendi, præagientem audivit Xaverium, non modo omnem benedictionem a Deo ipsum habiturum, sed etiam revelationem de die mortis imminente habiturum,

quod et factum. Unde exorto ultimo illo die Petrus postquam sacro funebri, quod pro se cantari jusserat, adfuisse, etsi nullo morbo tentatus in feretro se composuisset, finita Missa mortuus inventus est. *Pædagog.*, *Chr.*, p. II, c. xxv, § 2.

Homo quidam flagitiosus Bononiæ degens videbatur sibi in campo ab horribili tempestate deprehensus, proximas justitiæ aedes pulsare; sed inde repulsus, ut qui justitiæ curam non haberet, ad alteras veritatis, subinde etiam pacis aedes confugiens; cum etiam hic repulsam passus esset, tandem suadente pace, ad domum misericordiæ admitti petiit, quod quidem facile obtinuit, ea tamen lege, ut mores incolarum in ea habitantium assumere, et peccata sua elemosynis adimere studeret. *Drex*, *Gazoph.*, p. I, c. i, § 3.

Paterfamilias quidam cum unicum, quem adhuc reliquum habebat, sestertium pauperi dedisset, paulo post famulum obvium habuit qui viginti solidos tela involutos porrigens et a domino suo missos dicitans, paulo post evanuit. *Ibid.*, c. iii, § 2.

Antuerpiæ quatuor pauperum Prefecti ex more, annis singulis florenorum sexaginta; imo et septuaginta vel omnino octoginta millie aut plura collegerunt. *Ibid.*, p. II, c. i, § 7.

In Haistadiensi monasterio tantus fuit adventantium pauperum accursus, ut interdu mille quingenti ad portam numerarentur. Sed et pistior sassis est, minimos panes in furnum missos grande incrementum sumpsisse. *Ibid.*, p. II, c. ii, § 3.

S. Pachomius miles cum in civitatem christianorum divertens miram liberalitatem, et misericordiam in egenos conspexisset, quærens, quodnam hoc hominum genus sit, in opera misericordiæ tam effusus? audiensque Christianos esse, celo manus attollens mox decrevit eandem fidem profiteri, idque postea reipsa præstitit. *Ibid.*, p. III, c. vi, § 4.

S. Ida vidua tumbam, quam sibi præpararat, bis quotidie variis elemosynis replebat, indeque in pauperes erogabat. *Nadas.*, in *anno Euc.*, hebdom. xxiii, n. 9.

S. Catharina Senensis cum ad manum aliud non habens, quam argentem et templo crucem, eam pauperi dedisset, sequenti nocte Christus apparens, et crucem illam egregie gemmis adornatam ostendens, promisit, se illam in die iudicii coram omni

Angelorum, hominumque præsentia ostensurum. *Ibid.*, in *anno Crucis* hebdom. xiii, n. 4.

Nobilis ejusdam viri uxor cum eo absente leprosum in lecto collocasset, maritus insperato rediit, et lectum petere volens, cum ab ea alio duceretur, in suspicionem lasi thori veniens, vi in cubiculum irruit, sed illic nonnisi fragrantissimas rosas media in hyeme invenit. *Cantip.*, l. II, *Mirac.*, c. xxi.

Evagrius Philosophus a Synesio Episcopo ad fidem adductus, et persuasus eum, qui miseretur Domino fenerari, centuplumque in celo recepturum, tres auri centenarios eidem in pauperes distribuendos obtulit, chirographumque, quo Christi nomine se obligaret, petiit. Quod cum post mortem in manus ipsi, ut vivus præceperat datum fuisset, tertia die post sepulchrum Synesio apparuit dicens: Abi ad sepulchrum meum, et accipe chirographum manu mea subscriptum, nunc enim plene mihi satisfactum est. Cum ergo venisset Episcopus ad sepulchrum chartam in hæc verba scriptam invenit: Ego Evagrius Philosophus accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, et nullum habeo contra te jus propter aurum, quod per te Christo Salvatore meo dedi. *Sophron.*, *Orat. spir.*, c. xcxy, et *Pædagog.*, *Chr.*, p. II, cap. xxv.

Cum Zenon Imperator mulieris ejusdam filiam ad libidinem exsatiandam subripisset, hæc vacabat in templo Domine nostræ Dei genitricis, orans eam et deprecans, ac cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cum ergo diebus multis hoc faceret, apparuit ei per visum Sancta Dei Genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibet me. Erat enim Imperator valde misericors et elemosynas faciens. *Baron.*, t. VI, *Annal.*, an. Dom. 474.

Adrianus secundus, patria Romanus patre Valaro, Sergio Pontifici familiaris fuit, a quo cum aliquando denarios quadraginta dono accepisset, domum rediens dispensatori mandavit, ut eos peregrinis et pauperibus, qui in vestibulo domus suæ stabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cum videret ne minima quidem parti tantula re satisfaceri posse, ad Adrianum rediens, rem ipsam exponit. Tum Adrianus accepta pecunia ad pauperes reversus et ternos denarios singulis præstitit, et totidem sibi rei familiari satisfactorum, reservavit, admirante dispen-

satore miraculum rei; cui Adriani: Vides, inquit, quam benignus et largus sit Dominus his præsertim, qui liberales et munifici in pauperes sunt? Hæc et aliis virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, ut cum de Pontifice creando sermo haberetur, certatim omnes unicum Adrianum deligerent, quem etiam ab Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad præsepe, ad Lateranensem Basilicam nolentem detulere, ac statim Pontificem crearent. *Plat.*, in *vit. Pontif.*, in *Adriano* II.

Anno Domini 399 Epiphanius Cypriorum Episcopus, ad cuius sepulchrum hactenus demones expelluntur, cum substantiam propriam necessitatem sustinentibus erogasset, et multis quoque offerentibus ei pecunias manu largissima dispensaret, contigit ut pecuniis deficientibus (Economus Ecclesiæ murmuraret. Quo facto assistens quidam in domo in qua habitabat (Economus, sacculum multarum pecuniarum dedit, et ita disparuit, ut nec qui dedisset, nec qui misisset cognosceretur. Quod factum omnes divinum esse indicaverunt.

Ordo.

MISERICORDIA. — S. Augustinus omnes elemosynas et possessiones, quas poterat de fidelibus habere, Monasterii Religiosorum, quos sciebat communi bono spirituali utiles esse, largiebatur. *Possidon.*, in *Vita*.

S. Mart. Episcop. elemosynas a se provocatas Ecclesiis et eorum ministris, nec non religiosis dividebat ratus, considerato qui inde existeret fructu, nullibi eas aptius collocari.

S. Hieron. singulariter commendat S. Paulum ex eo, quod, licet liberis et nepotes alioque propinquos non paucos haberet, facultates tamen suas superfluas non ipsis, sed in religiosis et sacerdotibus animas lucrantibus donavit, et propinquis eam ob causam murmurantibus dixerit, meliorem se illis hæreditatem, Christi misericordiam relinquere. Certe Simeon Metaphrastes testatur, Deum singulariter ejusmodi misericordiam non in altera dumtaxat, sed etiam in hæc vita remunerari. *D. Hier.*, in *Epitap. Paulæ*.

S. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetiarum cum aliquando a consanguineo non adeo paupere rogaretur, ut pecunia eum juvaret in filia dolum, in hæc verba res-